



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus
distributa. Quorum primus De Angelis

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

XXVI. Utrum Angeli per signa sensibilia, vel spiritualia loquantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

CAPVT XXVI.

Virum Angeli suos internos conceptus, vel affectus per signa sensibilia, vel spiritalia alijs manifestent.

1. **Q**uestionem de locutione Angelorum, à præcedenti valde distinguendo, tractauit D. Thomas posse vnum *1. p. q. 107.* Quia vero potissima difficultas, quæ ex superiori resultat, sine huius puncti declaratione manifestare expediri non potest, ideo illa omnia, quæ ad locutionem spectant, hoc loco addenda esse iudicauimus, alia vero quæ ad illuminationem pertinent, in li. 4. reseruabimus. Supponimus autem primo, non minus certum esse, posse vnum Angelum cognoscere cogitationes alterius, eo consentiente, & volente, quam sit certum, eo non volente non posse. Nam sicut hos actus esse occultos modo prædicto est conueniens angelicæ naturæ, ita etiam est valde necessarium, vt saltem volente Angelo, cuius sunt actus, cognosci possint, quia alias inter Angelos non posset esse vita socialis, neque ordo, aut gubernatio, quod est contra perfectionem, & conditionem naturæ rationalis, & Scripturis etiam repugnat, vt videbimus.

2. **H**inc secundo certum est, esse inter Angelos locutionem, qua suos conceptus, & actus inuicem manifestant. Ita docet D. Thomas supra, & omnes Theologum 2. d. 11. Et sumitur ex Paulo 1. Corinth. 13. dicente: *Singulis hominum loquar, & Angelorum.* In quo supponit, esse in Angelis locutionem, vt ibi notant Chrysostom. homil. 32. Ambros. Theodores. O Eumen. Anselm. & D. Thomas, & Prosper in epistola ad Demetriad. Nam licet Paulus per exaggerationem perfectissimam linguam signare voluerit, non haberet locum exaggeratio, nisi supponeret, esse in Angelis excellentiorem linguæ modum, nempe spiritualis, & intellectualis, vt Theophylact. indicauit. Denique in alijs locis Scripturæ sæpe dicuntur Angeli inter se loqui, vt *Zacharia 2. & 3. Apocalyp. 7. & 9.* & licet in corporibus assumptis loquentes introducantur, vt ab hominibus audiri possint, nihilominus supponuntur inter se loqui. Nec cogitari potest, eos corporibus indigere, vt inter se loquantur, cum corpora naturaliter non habeant. Et Iudas in sua epistola dicit, Michaëlem Archangelum cum diabolo disputasse, quod necesse non est, vt in corporibus assumptis factum fuerit. Atque hoc intendit Damascen. lib. 2. cap. 3. dicens, Angelos inter se spirituali modo suas cogitationes, & consilia communicare. Et idem intendunt Basilius, & Gregorius paulo post citandi. Idemque supponunt Dionysius, & cæteri Patres dicentes, esse inter Angelos superiores, & inferiores ordines, ita vt inferiores à superioribus discant, eisque obediant, vt ex Dionysio de celesti Hierarch. supra tetigimus, & infra in libr. 4. & 6. latius dicemus, & ex citato loco Zachar. 2. confirmat Iudor. lib. 1. sententiar. cap. 10. §. Inter Angelos: vbi non solum bonos Angelos, sed etiam malos inter se hunc ordinem seruare, imo & malos à bonis interdum addiscere, tradit in §. Angelum in Verbo, dicens, dæmones aliqua per reuelationem à sanctis Angelis discere, quod supponit etiam August. lib. de diuinat. demon. c. 5. & 6. Ratio denique est, quia Angelus non cognoscit alterius actus mentales, dum illos occultos habet: potest autem illos cognoscere, si alter velit, ergo oportet, vt alter possit illos reuelare, hæc autem reuelatio locutio dicitur.

Angeli, vt loquantur inter se, non indigent corporibus assumptis.

Probat etiam ratione.

3. **H**is positis dubium est, qualiter fiat hæc locutio ex parte loquentis, & quia omni locutioni auditio respondet, & intelligentia, vt fructuosa esse possit, consequenter exponendum est, quomodo vnus Angelus alium audiat, & quomodo fiat potens ad intel-

ligendum, quod antea non poterat, imo etiam ad id moueatur, & exciteatur. Quæ res obscurissima Theologis visa est. Vnde in varias sententias diuisi sunt, quas vt conuenienti ordine referam, & examinem, suppono duobus modis intelligi posse, vnum Angelum manifestare alteri conceptum suum. Primo tantum in testimonio dicentis, ita vt Angelus audiens non videat rem sibi dictam, nec conceptum loquentis intuitiue, & clare in se, sed solum in verbo, & testimonio dicentis: secundo, quod talis locutio, vt actum loquentis clare, & in se manifestet. In hoc ergo cap. de priori modo, in sequenti de posteriori dicemus. Igitur priorem modum sequuti sunt quidam Theologi, qui dixerunt, Angelos loquentes se per signa quædam, quibus conceptus suos alijs indicant, sicut nos per voces illos exprimimus. De his autem signis quidam dixerunt esse sensibilia, & ab ipsis in aliquo corpore formati, sicut nos in aëre, vel in charta voces, vel literas edimus. Hanc opinio- nem refert Durand. in 2. d. 11. q. 2. cum Heruæo in q. 1. & in ea duos distinguit modos, vnus est, vt illa signa sensibilia sine figuræ factæ in celo, habentem inter Angelos peculiarem significationem. Et hunc locum reiicit num. 7. tanquam frivolum, quia nec talis figuratio in celo facta, nec eius significatio siue naturalis, siue ad placitum intelligibiles sunt. Et quæ dicemus contra sequentes modos, hunc à fortiori impugnant.

Alium modum subiungit num. 12. nimirum, vt illa signa sint, vel soni sensibiles in aëre formati inftar vocum, vel sint nutus, & signa facta in corporibus assumptis, sicut homines etiam inter se loquuntur. Et hunc modum probat Durand. fere vt vnicuique loquendo in rigore de propria locutione. Verumtamen licet nunc Angeli ita possint inter se loqui, vt ex Scriptura sacra referrebamus, omnino tamen improbabile est, hunc loquendi modum illis tribuere, vel tanquam necessarium, vel tanquam ipsi connaturalem, vt recte docet Bonauent. in 2. d. 10. art. 3. q. 1. Et declaratur primo, quia communicatio motua inter Angelos naturalis illis est, & intra suum gradum illis necessaria, ergo & locutio inter eos est eodem modo naturalis, & necessaria: sed natura angelica cum omni proprietate naturali, & in illo gradu necessaria est independens à corporibus, vnde & locutio esse potest inter eos, etiam si non essent corpora, ergo ille modus locutionis est accidentarius, & quasi ab extrinseco proueniens Angelis, ergo præter illum assignandus est Angelis modus locutionis per se illis conueniens, & spirituali naturæ proportionatus. Et declaratur primo, quia tales soni, vel nutus non significant, nisi ad placitum, ex hominum impositione, aut consuetudine, quas Angeli bene norunt, & imitantur, quis autem dicat locutionem Angelorum ex hominum impositione, aut more pendere.

Secundo expendo, licet Angeli in corporibus assumptis ita inter se loquantur propter homines, nihilominus signa illa sensibilia non posse ad immutandum intellectum Angeli audientis peruenire, sicut voces immutant mentes hominis. Et ratio est, quia in Angelis non sunt phantasmata, nec est naturalis connexio sensuum cum intellectu, vt per illos immutato sensibilibus vsque ad intellectum penetret, sicut in homine fit, & ideo inter Angelos sensibilibus sermo non potest habere illam vim locutionis, quæ ad intellectum immutandum perueniat, sed solum habet vim significandi tali modo, vt ab alio intelligi possit, si velit attendere, & ideo necessaria est alia locutio propria, & spiritualis, per quam Angeli & loquantur, & alios ad audiendum sine lingua, & vocibus excitent. Et hoc intendit Damascenus dicto cap. 3. dum ait: *Non lingua & auribus opus habentes, verum citra sermone (vtriusque sensibilibus) admittunt cogitationes suas, atque consilia*

inter se communicantes. Et in eodem sensu accipiendum est, quod dicit Basil. homil. 3. in id, Attende tibi, hominibus datum esse sermonis (vique sensibilibus) usum, propter corporis impedimentum. Sicut, (inquit) ipsi uiuerent, anima omnium oculis conspicua, & nuda, inter nos mox conueniret per mutuam cognitionem intelligentiam. Non quidem quia hæc inter puros spiritus sine aliqua locutione fiat, sed quia non indigent signis sensibilibus, sed spirituali modo per liberum consensum, quem per illa uerba significat, inter nos conueniret. Et eodem modo exponitur Gregor. libr. 18. Moral. cap. 3. à D. Thoma dicta quæst. 107. artic. 1. ad 1. vt supra etiam arguimus, excludit enim ab spiritibus carentibus corpore necessitatem signorum sensibilibus, non omnem suorum conceptuum, & affectuum manifestationem.

5. Secunda sententia affirmans de signis spiritualibus.

Secunda principalis sententia est, Angelos inter se loqui per signa spiritualia instrumentaliter, vt aiunt, significantia: illa enim nunc proprie signa, quasi per antonomasiam appellamus. Hanc etiam refert Durandus supra, & sequitur Egidius in 2. d. 10. quæst. 3. art. 1. illamque hoc modo explicat, quod Angelus post directam cognitionem rei, quam habet, potest uelle in se facere signum representatiuum illius uerbi, quod de re formatur, quod signum non est natura sua occultum, sed notum alijs, & ideo formatio illius signi est sui conceptus expressio, & locutio. Indicat autem illud signum non esse actum cognoscendi in ipso loquente, sed aliquid ab omni actu, & à specie intelligibili, & habitu distinctum. Et hanc opinionem sequuntur Argentinenf. in eadem d. 10. quæstion. 1. artic. 2. Gregor. quæstion. 2. in fine, Marfil. in 2. quæstion. 7. artic. 2. Clichtou. in Damascen. libr. 2. capit. 3. Molin. d. artic. 4. ubi Vasq. factus est in illam propensio. Tribui etiam solet Capreolo in 2. d. 11. quæst. 1. artic. 1. in probatione primæ conclusionis, ex D. Thoma ibidem quæst. 1. art. 3. ubi generaliter dicit, uerum esse, Angelos loqui per signa, sed illi in alio sensu loquuntur, vt uidebimus capite sequenti.

6. Examinatur hæc sententia per septem interrogatio- nes.

Hæc uero opinio à cæteris Theologis recte est, præsertim uero illam impugnat Durandus supra, licet non admodum efficaciter, vt statim dicam: nam vt iudicium de illa proferam, pauca prius circa illam interrogare, & expendere necesse est. Primum quid sint hæc signa in sua realitate, vel entitate: secundum, quomodo significant: tertium, quomodo fiant, id est, an libere, vel necessario: quartum, in quo subiecto fiant, id est, an in loquente, vel in audiente: quintum, si sint in loquente, an aliquid ex illis resurget in audiente: sextum, an talia signa semel facta semper permanentia sint, sicut Scripturæ, vel quantum durent, vel solum durent dum fiunt, sicut uoces, vel nutus qui per motum fiunt. Vltimo, an ista signa sint omnino necessaria: ita vt Angeli non possint aliter aliorum conceptus cognoscere, nisi per hæc signa, per se loquendo, & exclusa locutione per sonos sensibiles, seu per corpora assumpta. Nam his explicatis, inde, vt arbitror, quanta sit difficultas, vel probabilitas, in hac sententia facile apparebit.

7. Prima interrogatio, quid sint ista signa spiritualia. Non esse actus vitales, sed actus mentis, non potuerunt ab alio uideri, & consequenter non poterunt illi significare, nec ad locutionem deferri: nam per illa signa cognosceret loquens, non uero alius, si uero sunt in audiente, non possunt in ipso fieri à loquente, vt statim probabimus: ac uero signum locutionis debet fieri à loquente, quia loqui est representare mentem, aliquod signum illius efficiendo, vt statim dicemus, quan-

Suarez de Angelis.

quam in hoc aliter senserit Maior, vt paulo inferius notabo. Deinde negant hi auctores, hæc signa esse species intelligibiles, tum quia non deseruiunt ad cognoscendam rem significatam in se, sed tantum in signo. Tum etiam, quia nec sunt species intelligibiles loquentis, quia illas non acquirit, sed habet inditas: hæc autem signa ipse facit. Item quia licet vnus Angelus audiens uideat species intelligibiles alterius Angeli loquentis, per illas non uideret, quid cogitet, vel amet, ergo si hæc signa essent species aliquæ loquentis, nihil audienti significarent: nec etiam possunt esse species ipsius audientis, quia uel essent inditæ à principio, & sic per illas posset cognoscere actus alterius, sine manifestatione eius, uel essent impressæ à loquente, & hoc putant impossibile illi auctores, præsertim quia illi non ponunt hæc signa effectiue representantia rem in se, sed obiectiue, & instrumentaliter representantia rem in signo. Et hinc à fortiori concluditur, hæc signa iuxta hos auctores, non esse habitus, uel aliquam ex qualitatibus nobis notis: quid autem sint, non dicunt, sed tantum esse signa.

Non item esse species intelligibiles.

Nec habitus, aut qualitates alias nobis notas.

Videtur tamen necessario dicendum esse qualitates reales, in quibus illa significatio fundetur, siue illa sit relatio rationis, siue realis: nam semper fundari debet in aliqua re, uel modo reali facto de nouo: cum enim Angelus per hæc signa loquitur, aliquid realiter efficit, illa ergo effectio aliquem realem terminum habet: ille autem non potest esse nisi in specie qualitatis. Nam in specie relationis esse non potest, quia ad relationem non est per se actio, seu mutatio: hoc autem signum non fit sine aliqua mutatione, quæ per realem efficientiam fit in eo, in quo tale signum adhæret, quæ est præuia ad relationem signi, & fundamentum eius: est ergo aliquid absolute præuium ad relationem, ergo est qualitas, quia discurrendo per cætera prædicamenta certum est, in nullo alio esse posse. Denique ita uideatur de his signis iudicandum, sicut Theologi probabilis opinantes de charactere sentiunt, nimirum esse qualitatem realem, vt in 3. tom. 3. p. disp. 11. sect. 2. dixi, & tradit optime Vasquez tom. 2. in 3. p. disp. 134. cap. 2. Nam discursus ibi facti hic optime accommodari possunt. Et ex hac resolutione incipit innotescere prima difficultas non parua, quæ est in illa sententia. Quia difficillimum est, intelligere, quæ uel qualis esse possit illa qualitas, aut quis sit primarius, & proprius eius effectus formalis, propter quem sit à natura instituta: nam significatio non potest esse affectus formalis, nec finis intrinsecus talis qualitatis, ut ex dicendis patebit, & ideo difficillimum arbitror talis qualitatis naturam explicare. Vnde in charactere principijs fidei ducimur ad illam qualitatem credendam: quod etiam facilius admititur, quia character est qualitas supernaturalis, & modo supernaturali fit. At si in Angelis sunt talia signa, erunt qualitates ordinis naturalis, & modo naturali fieri debent, & ideo difficilior creduntur, maxime si ex principijs naturalibus, non ex necessitate inferuntur.

8. Esse tamen qualitates reales. Probatur negatiue.

Suadetur etiam exemplo characteris.

Propositio signorum explicatio difficilis, nec exemplo characteris latus suadetur.

Admissis tamen qualitatibus, cum illæ ad significandum internos actus ponantur, statim occurrit secunda interrogatio, scilicet, quo modo significant. In quo suppono, sicut in superioribus distinximus, an dicta si- duplex medium cognoscendi, scilicet cognitum, & incognitum, ita hic posse distingui duplex signum, scilicet cognitum, & incognitum, licet re uera iuxta descriptionem signi, quam Dialectici tradunt, signum proprie non fit, nisi medium cognitum, nam signum dicitur, quod præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire, quæ data est de signo sensibili, & cum proportionem applicari potest ad intelligibile, & in ea supponitur, signum prius seipsum cognoscendum offerre, & per illud traditum fieri ad alterius rei cogni-

9. Secunda interrogatio, an dicta si- duplex medium cognoscendi, & signa sint naturalia, uel extrinseca.



cognitionem, quod est, esse medium cognitum. Tamen quia omne id, quod aliud representat, aliquo modo induit rationem signi, quia representare, & significare, fere idem sunt, ideo species intelligibilis, sicut representat id, cuius est species, ita significat illud, & consequenter illius esse signum dici potest. Et secundum hunc loquendi modum species intelligibilis dicitur signum incognitum, quia non ducit in cognitionem alterius per cognitionem sui, neque illam per se requirit: & in hoc sensu loquitur de signis Capreolus, cum D. Thoma supra. Hac ergo distinctione admissa, hic supponimus hæc signa, de quibus tractamus, non poni tanquam signa incognita, quia non creduntur esse species intelligibiles, sed obiecta quædam Angelis cognoscibilia per species innatas, quas habent; eo ipso, quod talia signa in rerum natura ponuntur: & sic cognita ducunt in cognitionem actuum cordis, & ideo signa cognita dici possunt. Hæc autem signa dupliciter representare solent, scilicet vel naturaliter, ut fumus indicat ignem, vel ad placitum (ut vocant, seu ex institutione) ut voces, vel scriptura inter nos. Quo ergo istorum modorum hæc signa Angelis significant, interrogamus?

10.
Responso
quorundam
esse natura-
lia.

Primus modus dicendi esse potest, hanc significationem esse connaturalem. Et suaderi potest, tum excludendo significationem ad placitum inter Angelos, quia vix intelligi potest (ut statim argumentabimur) tum directe, quia supponendo tales qualitates esse possibili, nulla videtur esse repugnantia, quod inter illas quædam suapte natura apta sit ducere in cognitionem talis actus interni, alia in cognitionem alterius, & sic de cæteris. Et confirmatur à simili de characteribus, quia non desunt, qui dicant, vnumquenque ex tribus characteribus, Baptismi, Confirmationis, & Ordinis habere natura sua propriam significationem, propter quam imprimuntur. Atque ita partem hanc probabiliorē reputat Vasquez supra, iuxta hanc sententiam, & communiorem inter eius auctores esse reputat. Ego vero illam intelligere non valeo, vnde cum nec reuelata sit, nec ratione probetur, credendam non censeo. Nam omnis naturalis significatio fundatur, vel in formali similitudine, qualis est in imagine, vel in aliqua necessaria connexione inter signum, & signatum, quæ connexio non potest esse, nisi in aliquo genere causæ, & effectus. Nam pura connexio relatiua, qualis est inter duo correlatiua, vel relationem, & terminum, ad hoc non deseruit, quia nunquam potest vna relatio esse signum, per quod in cognitionem termini, vel alterius relationis perueniatur, quia ut relatio cognoscatur, necesse est simul terminum, seu correlationem cognoscere. Quia ratione supra etiam diximus, relationem non posse esse medium cognitum, per quod ad cognitionem termini, vel correlatiui perueniatur.

11.
Progre-
ditur impro-
batio.

At vero in præsentibus qualitates, quæ dicuntur esse signa, per quæ Angeli inter se loquuntur, non sunt formales similitudines, seu imagines actuum cordis, quia non sunt actus vitales, nec conueniunt cum illis in essentia, nec fingi potest conuenientia in figura, vel aliqua forma accidentali simili, in qua significatio illa, seu representatio fundetur. Nec etiam talis qualitas est causa actus, quem representat, ut est per se notum, nec etiam est effectus, quia nec est actus vite, nec habitus, nec species intelligibilis: præter hæc autem non habet actus mentis aliquem effectum, imo etiam de his non ab omnibus conceditur. Potest etiam fieri argumentum ad hominem, quia ista qualitas representatiua non potest ex necessitate nature fieri, vel manare ab actu, in cuius cognitionem ducit, alias semper se manifestaret per tale signum: nec etiam potest

manare libere, quia dicti auctores nolunt admittere efficiendam liberam in his actibus intellectus, vel voluntatis, supposita eorum existentia. Ergo non potest illa qualitas representare talem actum, ut proprius effectus illius, ergo nulla ratio, aut fundamentum naturalis significationis in ea inuenitur. Nam præter dicta nullum aliud nos inuenimus, nec facile intelligi, aut excogitari potest. Si quis autem dixerit, esse posse alios modos signorum naturaliter representantium, licet nos illos non intelligamus, haberet locum responsio, si fides non cogeret ad credenda talia signa, cum vero ratione naturali procedimus, tale responsum admittendum non est. Præsertim, quia ratio probat efficaciter, à sufficienti partium enumeratione, quia non potest esse naturalis significatio in vno obiecto cognito, nisi habeat connexionem cum re significata: nec ista connexio potest esse sine fundamento causæ, vel effectus, seu clauso nexu inter alterutrum, qui ad rem non pertinet. Alias rationes affert Durand. contra hanc significationem naturalem, quas omitto, quia parui momenti sunt.

Alius ergo modus dicendi est, hanc significationem esse ad placitum, qui non displicet Maioribus. *dist. 9. questio 5.* in penultimo dicendi modo: indicat autem ibi, qualiter impositam ad significandum, esse conceptum reflexum, qui naturaliter solum representat alium actum, supra quem cadit, & quem pro obiecto habet: potest autem imponi ad placitum, ad significandum vel actum directum, quem naturaliter etiam representat, vel etiam alium, quem de se nullo modo representat. Illam autem impositionem, ait, fieri ab ipsismet Angelis inter se in illa conuenientibus. Et ibidem tribuit Gregorio, quod ponat hæc signa significancia ad placitum, sed Gregorius nec dicit hæc signa esse conceptus directos, vel reflexos, nec modum significandi declarat. Et quoad priorem partem supponere videtur Maior, conceptus, & actus intellectus angelici non esse natura sua alijs occultos, ut aperte docet, quia aliter non confiteret, qualiter loquerentur per illa signa. Nam si actus intellectus sunt natura sua occultis, non sunt apti ad illam significationem, quia nemo potest talem significationem percipere, qui qualitatem ipsam ad significandum impositam, videre non possit. Et hæc ratio non minus in actu reflexo, quam in directo locum habet: quia si aliquis occultus est, etiam omnes sunt natura sua occultis sine exceptione, ut dixi, & paulo post in particulari dicam.

Quod vero spectat ad alteram partem de significatione ad placitum, illam impugnat Durand. supra duabus rationibus. Prima supponit habere Angelos semper, ac naturaliter talia signa. Sed hoc falsum est, & contra mentem eorum, qui hanc sententiam defendunt: consequenter enim dicunt, esse in potestate loquentis, efficere, vel non efficere tale signum. Altera vero ratio optime impugnat illum modum significandi ex impositione eorumdem Angelorum: nam vel impositio erit inutilis, aut inuoluit repugnantiam. Si enim vnuquisque Angelus sua signa ad significandum imponit, aut illa impositio ab alijs ignoratur, & sic est inutilis, quia tale signum non poterit alijs significare, vel cognoscitur ab alijs, & tunc vel cognoscitur mediante locutione ipsius instituentis tale signum, & sic opus est, ut prius habeat signa, per quæ loquatur, & de illis eadem questio redibit, vel cognoscitur sine locutione, & hoc repugnat positioni, nam ille Angelus, qui significationem imposuit, voluntate libera id fecit: hæc autem voluntas libera non potest ab alio cognosci sine locutione, ergo repugnantia in eo inuoluitur. Quod si hæc signa non inponuntur ab vnoquoque priuatum, sed per concordiam omnium, ad talem impositionem faciendam, & vniu-
ea con-

ea conveniant, opusest, vt inter se loquantur, suasque voluntates, atque iudicia in tali negotio mutuo sibi manifestent, & ita vel loquantur prius sine signis ad placitum, vel loquantur per signa nondum imposita, quae omnia repugnant. Quo discursu, iudicio meo, euidenter probatur, non posse talem impositionem fieri per ipsos Angelos. Nec est simile de hominibus, tum quia ante impositionem possunt se intelligere per nutus, vel possunt materialiter proferre nomen, nutibus designando rem, quam volunt illo nomine significare, & sic de alijs, qui modus, licet sit difficilis, non tamen est impossibilis, imo vsu, & consuetudine, ita videntur homines in infantia nativam linguam addiscere, in Angelis vero non sunt huiusmodi spirituales nutus distincti a qualitatibus significantibus, & ideo vel significatio esse debet naturalis, & perfecta, vel certe per impositionem factam ab ipsis Angelis, esse non potest.

vt infra videbimus, receptissima sententia est, non posse Angelos sua voluntate alterare corpora, quia non possunt efficere qualitates corporales, ergo a fortiori nec spirituales poterunt illo modo efficere, quia spirituales qualitates perfectiores sunt. Dicitur fortasse illud dogma receptum, intelligendum esse respectu aliorum, quia in seipso facere potest aliquid per actum suae voluntatis: nam actus facit habitum. Sed hoc non recte dicitur, quia actus voluntatis efficit habitum in ipsa voluntate naturaliter, & per modum cuiusdam formae agentis sibi simile, vel proportionale, non vero efficit illum volendo vt fiat, & hoc modo dicimus voluntatem Angeli non esse actiuam qualitatis, etiam in ipso Angelo, sed solius motus localis. Ergo non potest hoc modo facere qualitates illas, quae dicuntur esse signa internorum actuum.

Euaasio praed clauditur.

Nec etiam facere illas potest, per illos actus, quos manifestare vult, quia actus immanentes non sunt actiui qualitatum, quae non sint principia similibus actuum, vt sunt habitus. Dices etiam esse actiuos qualitatum significantium ipsos. Sed contra, quia illis qualitatibus in sua natura reali spectatis, extrinseca, & accidentaria est significatio, cum supponatur esse ex sola institutione. Ergo spectata natura actuum internorum, & talium qualitatum, non est vnde possint illi actus habere vim efficiendi tales qualitates, nam ad hoc natura talium qualitatum consideranda est, non significatio, quae extrinsecus aduenit. Quia si actus illi natura sua sunt effectiui illarum qualitatum, & aequae illas producerent, etiam si ad significandum impositae non essent: quod videtur creditu difficile, quia illae qualitates ex natura sua non ordinantur ad perficiendas potentias intellectus, & voluntatis in munere intelligendi, aut volendi, ergo nec sunt natura sua producibiles per actus talium potentiarum. Est etiam contra hoc alia ratio, quia quicquid tales actus producere possunt in ipso operante, non libere, sed naturaliter produunt, ita vt, licet actus libere fiat, eo ipso quod est, naturaliter faciat, quicquid facere potest, sic enim actus facit habitum, & speciem, quam in memoria relinquit, has vero qualitates non efficit naturaliter, etiam si supponantur existere, sed libere, vt probatum est. Ergo nullo modo possunt illas efficere. Atque haec argumenta magis confirmabimus in sequentibus.

17.

Nec videri producibilia per actus intellectus. Insufficiens responsio excluditur.

Erat quaestiuicula quarta, in quo subiecto fiant ista signa, potestque interrogatio fieri, vel de subiecto principali, id est, supposito, vel de subiecto proximo, in quo inhaerent. Et in priori parte communis sensus dictorum auctorum est, fieri tantum in Angelo loquente absque vlla efficientia in audiente. Ita docet expresse Gregorius, & Vasquez supra, numer. 53. reprehendit modernos quosdam, qui oppositum dictis auctoribus tribuebant. Videntur autem isti auctores supponere, non posse vnum Angelum efficere in alio qualitatem aliquam, nec video, quod aliud fundamentum humani partis habere possint. Contra hoc vero duo magna incommoda occurrunt. Vnum est, quia sequitur, Angelum loquentem, non excitare alium ad audiendum, quia excitatio sine efficientia intelligi non potest, consequens autem est contrarationem locutionis, quod argumentum infra virgebo amplius. Aliud est, quod Angelus nunquam poterit secreto loqui ad vnum, quin alij intelligant, si velint, quod quidem dicti auctores consequenter concedunt, valde tamen dissonat naturae rationali, & prudenti eius institutioni. Quod videns Marsilius, conatur sequelam negare, quia possunt habere Angeli signa quaedam generalia omnibus, alia specialia singulis: nam cum significet ad placitum, potuerunt quaedam imponi ad quandam significatio-

18.

Quarta, & quinta interrogatio circa subiectum praedictorum signorum. De subiecto quod, respondendum. Impugnatur duplici incommodo.

Marsilius euaasio.

14. Non videtur tamen repugnare, quod sint ex instituto Dei.

In quo nihilominus occurrit difficultas.

15. Tertia interrogatio, imponere auctoribus horum signorum, quod illa ponant, tanquam semper existentia connaturaliter in Angelo loquente: sed id non inuenio in praedictis auctoribus, nec potest consequenter dici, vt supra dicebam, alioqui actus per haec signa representati, a quolibet volente attendere, & inspicere mentem alterius, posset in ea legere, quod alius cogitet, aut velit: & ita non essent occulta, sed naturaliter patentia, saltem per illa signa. Dicendum ergo est, illa signa libere fieri, imo hoc videtur esse de necessitate locutionis humanae, seu rationalis naturae, nam illi locutio data est, vt suam internam mentem aperiat, si velit, non vt illam necessario manifestet, aliter talis locutio perfectionem talis naturae destrueret.

Debere esse libera.

16. Non videtur tamen producibilia per actus voluntatis.

Difficultas autem est, an qualitates illae significantiae fiant immediate per actum voluntatis, quo Angelus vult loqui, an vero per illos actus intellectus, aut voluntatis, quos per talia signa manifestare vult. Neutrum videtur probabile. Non quidem primum, nam Angelus non potest per suum velle efficere qualitates, vt est communis doctrina. Nam,

Suarez de Angelis.



nem notam omnibus, & alia habere significati-
onem, vni tantum, vel alteri notam, ita vt Angeli
quandam linguam communem habeant, & tot alias
particulares, quor sunt Angeli.

19. *Non placet.* At hæc opinio tot signorum multiplicatio-
ne incredibilior fit. Alioqui quot sunt species Ange-
lorum, tot erunt institutiones istorum signorum,
præter vnam omnibus communem. Quod si in
singulis speciebus sunt plura indiuidua, pro singu-
lis erit necessaria peculiaris significatio, vt possit v-
nus, si velit, vni tantum indiuiduo ita secreta lo-
qui, vt alij, etiam eiusdem speciei, non percipiant.
Vnde si Angelus velit duobus tantum specie diffe-
rentibus simul loqui, certe non poterit: nam si v-
tatur signo communi, alij intelligent, si priuato, v-
nus tantum percipiet. Oportebit ergo tertium
genus signorum, quæ duobus tantum sint nota, &
consequenter si solis tribus simul loqui velit, diuer-
sum signi genus erit necessarium, & sic multiplicari
poterunt fere in infinitum: cum tamen hæc, & si-
milia ridicula videantur: nisi forte quis dicat, duas
simul locutiones facere tunc Angelum, vel plures, si
pluribus simul loquatur, quod etiam valde imper-
fectum, & improbable videtur. Accedit, quod non
est minus difficile, Angelum hæc signa in se efficere,
quam in alio, vt ex dictis in tertio puncto intelli-
gitur.

20. *Accommo-
datur re-
sponso de
predicto
subiecto,
quod.
Est tamen
et ipsa dif-
ficilis.* Quapropter censeo, in hac sententia magis con-
sequenter dici, Angelum loquentem imprimere tale
signum in eum, cum quo loqui vult, quasi in eo
mentem suam describendo, & ita eum ad audiendum
excitando, quo modo facile curatur primum
inconueniens. Nec ista efficiencia in alio impro-
babilior est, quam in seipso, cum sit effectio cuius-
dam qualitatis, quæ non est actus vite, & si aliquo
modo est principium cognoscendi, potius inuatur
audientem ad cognoscendum, quam loquentem.
Per hæc autem non omnino vitatur alterum incon-
ueniens, nam eo ipso, quod talia signa in alio fi-
unt, licet alios non excitent, poterunt ipsa cog-
noscere, & intelligere, si attendere velint, & ita
locutio non erit secreta. Propterea addere quis
posset, Angelum loquentem prius efficere signum
in se, & per illud imprimere speciem eiusdem si-
gni in audiente, sicut nos in ore vocem forma-
mus, & speciem in auditu alterius immittimus,
& sic vitatur vtrunque incommodum. Et certe
admissa priori efficiencia signi in ipso loquente,
altera de specie facillime defendi potest, vt in
simili infra dicam: & vt opinor, magis con-
sequenter ita diceretur, quia non est necesse, vt
Angelus habeat innatas species talium signorum,
quia non sunt res mere naturales, sed ordinis li-
beri, & cum alias sint spiritalia, & actu intel-
ligibilia, non est inconueniens, quod sui spe-
ciem imprimant. Nihilominus tamen hæc omnia
ostendunt, quam fit difficilis hic locutionis
modus.

21. *De subiecto
quo, seu
proximo
responsio.* Circa alteram partem de subiecto proximo,
in quo hæc signa iparent, siue sint in loquen-
te, siue in audiente, sensus interrogationis est,
an hæc qualitates ad significandum impostæ in-
hereant in intellectu, vel in voluntate, vel in
essentia, seu substantia Angeli. In quo puncto ni-
hil à dictis auditoribus satis explicatum inuenio,
indicant tamen esse in intellectu, quia locutio
est operatio facultatis rationalis, & auditio si-
militer, vnde productio talis signi videtur imme-
diate per intellectum fieri, & consequenter fieri et-
iam in intellectu, siue maneat in loquente, siue fiat
in audiente, quia per intellectum audit. Nihilomi-
nus hoc difficultate non caret, quia subiectum
tribuendum est isti qualitati, secundum naturam
suam consideratæ, & proportionatum effectui
formali physico, quem talis qualitas natura sua ha-

*Predicta
responsio
difficultate
non caret.*

bet, nam impositio ad significandum est valde ex-
trinseca, & æqualiter potest imponi illi qualitati
in quocunque subiecto fit, & ad inherentiã eius
physicam nihil confert, sicut vox vel scriptura fit in
corpore, vel subiecto sibi physice accommodato.
At vero intellectus non videtur proportionatum
subiectum talis qualitatis. Probat, quia illa qua-
litas non est operatiua, quia non est species intelli-
gibilis, nec habitus, vel aliud principium intellectu-
alis operationis: sed intellectus solum est subiectum
capax operationis suæ, vel qualitarum, quæ sunt
principia eius, ergo nec ipse intellectus est capax
talis qualitatis, nec illa qualitas dicitur habitudinem
ad potentiam operatiuam, tanquam ad subiectum,
cum non sit operatiua principium, nec ad illam
disponat. Accedit, quod immerito supponitur,
tales qualitates fieri per intellectum, quia pro-
ductio talis qualitatis physice, & secundum se
spectata, non est operatio facultatis rationalis,
quia illa qualitas de se ad intellectum non perti-
net, sed solum ratione impositionis, quæ non mu-
tat naturam talis qualitatis, nec modum efficien-
tiæ physice illius, sed solum potest facere, vt
cum hoc, vel illo ordine rationis fiat, quod potest
habere, licet in ipso naturali subiecto, vel licet
per voluntatem, vel aliam potentiam fiat. Ma-
gis ergo consequenter ponetur hæc qualitas im-
mediate in substantia, quia disponet illam ab-
solute, & secundum se, sine respectu ad opus, si-
cut de gratia, vt à charitate distincta, D. Thomas
sentit, & de charactere propter similem ratio-
nem dixi 3. part. tom. 3. disputat. 11. sect. 4. & con-
sentit Vasquez *disputatione* 134. caput. 4. Nec ad si-
gnificationem hoc obstat, aut refert, magis quam,
quod scriptura in hac, vel illa charta fiat: nam sub-
stantia esse potest, velut charta, in qua Angeli spiri-
tualiter scribunt. Quod si alicui difficile esse vi-
deatur, dari qualitatem naturalem, id est, non su-
pernaturalem immediate efficiendam substantiam
Angeli, vel animæ, respondebimus totam hanc dif-
ficultatem ex positione istorum signorum nasci, il-
lis autem admisis, cætera deuotare necessarium
esse.

De sexta interrogatione nihil inuenio ab au-
ditoribus dictum, nimirum an ista signa sint tran-
sientia, vt ita dicam, seu dependentia in fieri, & in
esse ab actuali voluntate Angeli loquentis, vel semel
facta permanent. Nam illud prius videtur diffi-
cile creditur. Primo, quia illa sunt spiritalia qua-
litates, & non sunt actus immanentes, seu vitales,
nec principia physica eorum, cur ergo erunt tran-
sientes, aut dependentes in fieri, & in esse à vitali
influxu potentie. At vero si hæc signa, seu quali-
tates illæ semel factæ permanent, etiam si vel vo-
luntas facienda illas, vel cognitio, quæ per illas fit,
cessat: sequitur perpetuas esse, quia non habent
contrarium, & sunt in subiecto incorruptibili,
vnde non habent vnde naturaliter esse desinant.
Quo argumento alibi probaui characterem esse
qualitatem natura sua indelebilem, & incorrupti-
bilem. Hoc autem positum in his qualitatibus An-
gelorum, quæ ad exprimendos suos conceptus,
& affectus fieri dicuntur: consequenter sequitur
innumeras qualitates huius naturæ multiplicari,
ac perpetuo in Angelis manere quotquot successi-
ue per varias locutiones sunt, & in perpetuum
fieri. Parum autem credibile videtur, fieri qua-
litem perpetuo duraturam, propter vnicam, &
quasi momentaneam significationem, & postea si-
ne vllò vsu, aut vtilitate durare, & similes quali-
tates in ingenti numero augeri, atque in infinitum
multiplicari. Et præterea non potest ex tanta
signorum multitudine, simul in quolibet Ange-
lo permanentium, non magna confusio oriri, &
ambiguitas, an talia signa sint noua, & rerum præ-
sen-

sentium, vel antiqua, & rerum antiquarum, præcipue si talia signa, quando de nouo fiunt, non imprimunt nouas species in cæteris Angelis. Quia non semper possunt Angeli attendere, vt actu cognoscant omnia talia signa, quæ de nouo ab omnibus Angelis fiunt: quando ergo aliqua noua signa vident, quomodo cognoscunt, an tunc de nouo fiant, vel prius facta fuerint, & ipsi non attenderint. Et similia facile cogitari possunt, quæ licet fortasse non habeant repugnantiam manifestam, & ideo non sint defuturi, qui omnia facile admittant: nihilominus sine euidenti necessitate non sunt similia facile asserenda, quæ secum plus admirationis adferunt, quam credibilitatis.

23. Septima in interrogatio, an locutionis modus per signa ad placitum foret vnicus in Angelis, & necessarius. Vtrius modi affirmatiue respondetur.

Pars negatiue adstruitur.

Vltima interrogatio erat, an hic modus locutionis, tantum possibilis esse dicatur, vel necessarius, & vnicus, quo Angeli conceptus suos aliis manifestant, quia in hoc etiam non omnes auctores allegati conueniunt. Nam quidam prius excludunt omnes alios modos locutionis angelicæ, ab aliis auctoribus excogitatos, vt in hoc solo pedem figant, alii vero solum contendunt, hunc modum loquendi esse possibilem Angelis, & interdu illo vti, licet alio, vel aliis modis possint sua consilia inter se communicare, & aperire. Ino aliqui ex his qui dicunt cogitationes cordium esse notas Angelis ex natura sua, dicunt etiam huic modo loquendi locum relinquere, quia potest aliquis alteri loqui de re sibi nota, sicut nos etiam Deo loquimur. Mihi tamen in primis non videtur verisimile, hunc modum loquendi per signa ad placitum esse vnicum, & necessarium, ita vt non possit vnus Angelus alio modo, aut via cogitatione alteri cognoscere. Moueor, quia hic modus cognoscendi per signa ad placitum, est valde imperfectus: nam per talia signa non cognoscitur res in se, & consequenter, nec veritas locutionis euidenter videtur, sed solum creditur per quandam fidem auctoritati loquentis innixam: non est autem verisimile solum hoc modo posse Angelum ad cognoscendos actus internos alterius præuenire, ergo. Maior nota est, quia ex vi signi ad placitum, non datur principium, quo res significata prout in se est, cognoscatur: sed Angelus ex se non habet principium cognoscendi actus alterius in seipso, ergo per sola signa ad placitum non potest perfecte illos cognoscere. Minor per se etiam clara videtur, quia licet expediat actus internos Angelorum ita esse occultos, vt sine manifestatione habentis eos, aliis non pateant, tamen quod sit prorsus impossibile naturaliter Angelis, illos clare intueri, etiam volentibus, & consentientibus illis, quorum sunt tales actus, & quantum in se est facientibus, vt aliis clare pateat, nimium est, & magna imperfectio naturæ angelicæ videtur esse. Quia illi actus non excedunt naturalem virtutem intellectus angelici, cuius signum est, quia vnusquisque potest cognoscere proprios actus intuitiue, ac perfecte. Ergo etiam debet Angelus habere aliquam naturalem viam habendi species, per quas possit perfectam cognitionem talium actuum consequi, eorum domino consentiente. Propter hoc ergo mihi verisimile non est, totam locutionem Angelorum ad hæc signa reuocari, nec esse aliam viam, qua certius, & euidentius vnus Angelus alteri actus cordis sui manifestare possit.

Vnde tandem concludo longe probabilius videri, in Angelis non reperi talia signa, nec talem locutionis modum. Hoc multo plus quam probabiliter persuadent, omnia, quæ de his signis inquisitionibus. Nam sunt difficillima intellectu, & alias non sunt sufficientia, vt ostendi, & consequenter non sunt necessaria. Quo ergo probabili fundamento credemus locutionem Angelorum per talia signa fieri? Diceret aliquis, sicut non est conueniens Angelos non posse suos conceptus in seipsis ostendere, sed tantum in his signis, ita è contrario non est conueniens, excludere ab Angelis manifestationem suorum con-

ceptuum per hæc signa. Nam inde fit, vt quoties Angelus vult suam mentem alteri communicare, cogatur ad ostendendum illam in se, & non tantum in signo: ac subiunde non esse inter Angelos locutionem cui credere oporteat ex testimonio & auctoritate loquentis, nec esse inter eos fidem angelicam, vt sic dicam, sicut est inter homines fides humana, quod videtur diminutum, & imperfectum. Vnde consequenter fiet, vt ex natura rei inter Angelos non possit esse deceptio, nec mendacium, quod etiam videtur gratis dictum. Item in Angelis datur fides diuina, quæ sine reuelatione fundata in his signis, non videtur posse intelligi: imo neq; illuminatio videtur esse posse in Angelis sine huiusmodi signis. Præterea locutio Angelum non semper est immediate de proprio actu suo, sed etiam de re à se cognita, directe ac proxime esse potest, quomodo ergo erit sine his signis ad placitum significantibus res? Nam per species intelligibiles rerum esse non potest. Idem est, si vnus Angelus alteri loquatur, narras immediate actum quem in alio videt, nam actum alterius non potest in ipso ostendere, ergo opus est, vt per hæc signa illum manifestet. Sed ad hæc omnia respondebimus in sequentibus, ostendemusq; per alium verum locutionis modum, posse hæc omnia sine his signis ad placitum subsistere, & explicari, quantum naturæ angelicæ conuenientia, vel necessaria esse possunt.

CAPVT XXVII.

Vtrum vnus Angelus nihil efficiendo in audientem actus suos illi manifestet.

SUBLATIS signis instrumentalibus, sed ad placitum significantibus, quibus inter homines locutio fieri solet, difficile nobis est assequi, quis alius modus locutionis possibilis sit, & ideo à Theologis varii modi huius locutionis excogitati sunt. Inter quos generale quædam conuenientia, & differentia notanda est, vt melius singulas opiniones examinemus. Quidam ergo locutionem hanc fieri putant, sine aliqua efficientia Angeli loquentis in audientem, imo sine additione alicuius rei, quæ in Angelo audiente fiat, per quam principium aliquod, ad cognoscendos actus loquentis accipiat, sed solum quia ex parte loquentis tollitur velamen (vt sic dicam) suorum actuum, seu obiectiue tantum aperitur secretum, quod statim alter virtute sua cognoscere potest. Alii vero putant necessariam esse aliquam efficientiam loquentis in audientem: & in vtroque modo sunt varæ opiniones, quas in hoc capite proponemus, iudicium de singulis ferendo, vt quam veriolem esse credimus eligamus, in capite vero sequenti quibusdam difficultatibus satisfaciamus.

Prima opinio est, vnum Angelum non aliter loqui alteri, quam cognoscendo, quia eo ipso quod cognoscit aliquid, sibi loquitur, & per idem verbum quo sibi loquitur, potest aliis exprimere suum conceptum, vel rem per illum conceptam, & ita loqui alteri, vel de suo actu, vel de re per suum verbum representata, quia verbum mentis, licet respectu elicentis formaliter illi representet, nihilominus etiam aliis representare potest obiectiue, immediate quidem per ipsum verbum ab alio cogitant. Non quidem significatione ad placitum, vt dicebat Maior, precedenti capite allegatus, sed representatione naturali, quatenus verbum illud dicit habitudinem naturalem ad obiectum suum, per modum expressæ imaginis eius. Declarat autem hæc opinio, non quamcumque cogitationem Angeli habere rationem locutionis, etiam si fortasse aliis non sit: sed illam tantum quæ est

Responsum ad illas.

Prima opinio generalis.

Secunda opinio generalis.

Prima generalis opinio explicata, quod locutio sit cogitatio super ipsam cogitationem directam.

